



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Pars Prima. De Ivrisdictione Et Foro Competenti. Pars Secunda. De
Praeeminentiis & Praecedentiis

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. LXXXIV. Leodien. unionis. An A. C. secunda instantia jurisdictionem
habeat in causis Beneficialibus, & quando istæ dicantur tales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74087](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74087)

coram Magistris nundinatum, in quibus terminis dicto casu non versabamur, quia controversia erat super credito pecuniario contracto in Insula Cretæ, seu alibi, cum conventionem illud solvendi ex pretio valloneæ, quæ transmittetur ad Urbem, ut ibi venderetur, nam aliâs omnes causæ pecuniariæ inter Barones & cives Romanos tractari deberent in hoc foro, occasione frumenti, vini, aliarumque rerum commodioris transportationis ad Urbem per flumen vehuntur, & ita resolutum fuit.

LEODIEN. VNIONIS

P R O.

PP. PRÆDICATORIBUS GERMANIÆ INFERIORIS.

C V M

CAPITULO ECCLESIAE N.

Causa disputata in Signatura iustitiæ, & resoluta ut infra.

An A. C. in secunda instantia iurisdictionem habeat in causis Beneficialibus, & quando dicantur tales.

S V M M A R I V M.

- 1 A. C. est Iudex appellationis ab omnibus causis extrâ Curiam.
- 2 Electio est appellantis de pluribus iudicibus.
- 3 A. C. non habet iurisdictionem in beneficialibus, quod dupliciter declaratur.
- 4 Quando causa dicatur beneficalis nec nē.
- 5 Causa Leodienses committuntur in Rota.

D I S C. LXXXIV.



Actâ per Sedem Apostolicam, unione quorundam beneficiorum ad favorem beneficiorum ad favorem Patrum Ordinis Prædicatorum Germaniæ inferioris; Cùm literarum Apostolicarum desuper expeditarum executioni se oporteret Capitulum Ecclesiæ N atque in partibus sententiâ dictis Religiosis præjudicialis prodidisset, interposita per eos appellatione, causam introduxerunt coram A. C. E conversò autem Capitulum prædictum curavit causam per Breve Apostolicum committi alteri Iudici in partibus, atque in huiusmodi controversia, ad euntibus partibus Signaturam Iustitiæ.

Pro dictis Regularibus scribens, dicebam fundatam esse eorum intentionem pro remissione causæ ad A. C. cùm non dubitetur ipsum esse Iudicem competentem appellationis à quibuscumque causis extrâ Curiam, ut constat ex ejus facultatibus impressis post *Salust. in ejus praxi*, ac etiam de-

ductum habetur per *Seacc. de appellat. qu. 8. nu. 99. & 115.* & sapius dixit Rota præsertim *decis. 36. num. 1. & 28. par. 10. recent.* Data verò competentia, certum est, electionem esse appellantis ex deductis per eundem *Seacc. dict. tract. quæst. 5. num. 99.*

Non negabantur hæc per alterius partis defensores, utpotè notoria, & quotidie practicata, sed dicebatur ea procedere in aliis causis, non autem in beneficialibus, in quibus quicquid aliquando dubitatum fuerit, hodie per Signaturam & in Curia, receptum est, A. C. non habere iurisdictionem, neque esse Iudicem competentem, quod ego stante moderna praxi, & opinione, in qua reidet Signatura non negabam, dum etiam Rota non semel eundem sensum habuit, ut præsertim habetur apud *Achill. decis. 24. de appellat. Gregor. & adden. decis. 18. nu. 4. Coccin. decis. 169. num. 1. Cavaler. decis. 32. & 124. decis. 99. num. 20. par. 10. recent. & in aliis.*

Replacabam tamen, vel id non procedere, quoties non agitur de decidenda causa beneficiali in petitorio, sed solum ubi de simplici executione literarum Apostolicarum pro assequutione possessionis beneficii in processu executivo competente literis Apostolicis, quarum generaliter A. C. est executor, etiam si essent super provisione beneficii juxta modernas facultates ex deductis per *Coccin. decis. 169. num. 5. Rotas decis. 315. nu. 4. add. ad Buratt. decis. 299. num. 6.*

Vel objectum non intrare ex defectu applicationis, eò quia non agebatur de causa beneficiali, quæ tunc dicitur, quando agitur inter duos provisiones contententes de titulo, ac pertinentia beneficii. Secus autem ubi lis est super jure conferendi vel præsentandi, sive super unione, ac similibus controversiis, in quibus beneficium sit bene occasio litis, illa verò non percutiat ejus titulum vel pertinentiam inter duos provisiones, sed diversum effectum, ut magistraliter in materia, casus distinguendo, habetur in materia, casus distinguendo, habetur apud *Coccin. decis. 43.* Et in specie, quod ubi agitur de unione, causa non dicatur beneficalis *Coccin. decis. 169. num. 2. Cavaler. decis. 472. num. 4. Gregor. decis. 362. num. 1. adden. ad eundem decis. 174. num. 7.*

Signatura, consentiente hac parte, imò desiderante, causam commisit Rotæ, cui causæ Leodienses committi solent, ut apud *Buratt. decis. 825. num. 6. ubi add.* Id enim quod effugi quærebatur erat, nè remitteretur iudicibus de partibus, coram quibus ob majorem Capituli oppositoris potentiam, Patres de eorum iustitiæ admisione satis dubitant, cùm sapius ista, quæ solum ordinem concernunt ad iustitiæ, ac negotii principalis determinationem influere soleant.

* *